



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Sev Manuale Episcoporum Pro Decretis in  
Visitatione, & Synodo, de quacumque re condendis.**

**Gavanti, Bartolommeo**

**Venetiis, 1650**

cap. 37. De Reductione Missarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9534**

- 20 Praefectus Orationis 40. horarum .
- Penitentiarij minores Cathedralis .
- Praefecti chori .
- Recognitores onerum Missarum .
- Praefecti communium Cleri .
- Dispensatores eleemofynarum ex concio-  
nibus collectarum .
- Recognitores calendarij .
- Reuifores administrationis locorum pio-  
rum .
- Praefecti Confratriarum .

*De Reductione Missarum .*  
*Cap. XXXVII.*

- 1 **I**N eadem Congregatione consultorū prae-  
fatorum erit agendum, si opus est de for-  
ma reducendi Missas seu Annuaria, quae  
scilicet ante Concilium Tridētinū imposita  
fuerant, irrationabilia nunc tēporis effecta .
- 2 Nam de Missis post Concilium relictis, fa-  
cultas reducendi, commutandi, & eas mo-  
derandi reseruata est hodie Summo Ponti-  
fici, vel Sacrae Congregationi Conc. Trid.  
vt initio Decreti dicitur, de celebratione  
Missarum, sub Sanctissimo D. N. Urbano  
Papa VIII. die 21. Iunij 1625 .

*De Praeside synodi absente Episcopo.*  
*Cap. XX XVIII.*

- 1 **S**I casus accidat, quōd Episcopus infirme-  
tur, aut alio vocetur, neque velit pro-  
rogare Synodum in aliud tempus, videndum  
erit de Praeside eiusdem Synodi. qua in re  
addam plura non aspernanda .
- 2 Et quidem, si protoganda sit in aliud tem-  
pus, erit hoc significandum vniuerso Clero  
formula propria, de qua infra in 4. p. c. 1. n. 5 .
- 3 Si nolit eam prorogare, Vicarius Generalis  
eam conuocare poterit, de speciali manda-  
to Episcopi .
- 4 Verum, quid, si Vicarius non sit Protonota-  
rius Apostolicus, sed vel Canonicus, vel Prae-  
positus collegiatæ inferioris, qui casus con-  
tingit Nonariæ sub Carolo Episcopo nostri  
Ordinis à Basilica Petri. Difficultas erat pro-  
pter habitum in Synodo. quem decebat ef-  
se, vel parem, aut superiorem habitu Cano-  
nicorum. non enim vti poterat ille Rochet-  
to, & mantelletto; neque volebant eum Ca-  
nonici Cathedralis Ecclesiae sedere supra  
ipfos cum pluuiali, quæ erat vestis propria  
Praepositi Collegiatæ S. Gaudentij, tunc Vi-  
carij; vti vero mantello communi longe mi-  
nus eum decebat in Synodo .
- 5 Vocauit igitur Episcopus ægrotus Hiero-

nymum Septalem Protonotarium Apostoli-  
cum, quem cum litteris patentibus Prae-  
sidem Synodalem declarauit, & Congregatio-  
nibus Synodalibus, de quibus haecenus, tūm  
Synodali toti actioni merito praefecit .

*De Caremonijs Synodalibus absente Episcopo.*  
*Cap. XXXIX.*

- A**ctum igitur est de ceremonijs adhi-  
bendis, praesente praedicto Praeside, ab-  
sente Episcopo, & auctore huius operis  
actionem Synodalem dirigente .
- 2 Et quidem solemnibus Missis ille interfuit  
in Choro supra Canonicos; Praeposito pri-  
mam Missam cantante, & Canonicis reli-  
quas duas; iuxta Decreta Sacrae Rituum Co-  
gregationis relata à Gentien. in praxi Nea-  
pol. cap. 52. circa finem, & alijs .
- 3 Sedentibus deinde omnibus in loco sessio-  
nali, sedit ille tanquam praeses, in medio  
Cleri in sede coriacea supra vnicum gra-  
dum, tapete substrato, eleuata; rochetto, &  
mantelletto indutus, caeteris Canonicis plu-  
uialia, planeta, & dalmaticas iuduris. quo  
de tamen habitu dubitari posset; an parandi  
sint, absente Episcopo. & ego negarem; tūm  
quia Episcopus abest, tūm quia Praesidis pre-  
dictus habitus est inferior habitu Canonicor-  
um solemnibus; debet autem praecedere tūm  
loco, tūm habitu. Certe ad Missam primam  
cappas gestarunt Canonici supra rochetto,  
de more .
- 4 Lectæ fuerunt à Secretario Synodi patentes  
litteræ de constituto Praeside .
- 5 Qui statim inchoauit Antiphonam, & reli-  
qua addidit, vt in Pontificali .
- 6 Ad Euāgelium benedixit incensum de mo-  
re, & Diaconum, cuius librum osculatus est  
in fine, non tamen fuit incensatus, quia non  
erat paratus pluuiali .
- 7 Recitauit Orationes, & Hymnum inchoa-  
uit, Veni creator .
- 8 Sermonem habuit ad Clerum de suggestu  
tertia die, & praeclearè .
- 9 Totam actionem Synodalem profecutus  
est, quam Episcopus praestitisset, excepta be-  
nedictione in fine sessionum, à qua absti-  
nuit .
- 10 Ad osculum pacis recepit Clerum, vt sole-  
bat Episcopus .
- 11 In fine Processionis ante Synodum Canoni-  
cus Hebdomadarius in cornu Epistolæ dixit  
Orationes praescriptas in fine Hymnorum, &  
Psalmorum .
- 12 Vicarius autem Generalis, in processione  
quidem ibat cum suis Canonicis, vti Prae-  
posi-